

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Pena siue punitio h
cum fontibus proximo et primo

In presenti quidem uita delectationes temporales dulces sunt et tribulationes amare.

Sed quis non bibat tribulationis poculum,
metuens ignem infernalem,
aut quis non contempnat delectationem seculi,
inhians uite eterne?

Augustinus in quodam sermone.

In praesenti uita et deliciae temporales dulces sunt,
et tribulationes temporales amarae sunt.

Sed quis non bibat tribulationis poculum,
metuens ignem gehennarum?

Et quis non contempnat dulcedinem saeculi,
inhians bonis aeternae uitae?

Prosper Aquitanus, *Liber sententiarum*, 227 (CCSL 68A,
M. Gastaldo ed., p.310, ll.1-5).

Nam hic et deliciae temporales dulces sunt,
et tribulationes temporales amarae sunt;

sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum,
metuens ignem gehennarum;

et quis non contempnat dulcedinem saeculi,
inhians dulcedini uitae aeternae?

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, 68.1.3
(CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.904, ll.49-53).